

FLISSINGA.



FLISSINGA, est tertia ex præcipuis, vrbs VValacriæ, quæ est Zelandiæ Insula, situ opposita Flandriæ, olim sub annum 1400. campus erat transitui in Flandriam natura commodus, (vt ex Chronicis constat) Quamobrem abhinc annis 60. eam Adolphus Burgundus mœnibus portisq; cinxit, & ijs, quæ ad portum necessaria videbantur, instruxit. Itaq; dici potest, eam nunc esse urbem, ex qua terrarum quocunq; solui, nauigariq; possit, Eo maxime nomine, quod tam amplo & oportuno firmetur portu, vt quæcunq; naues, siue ex oriente, siue ex Occidente, meridicq; commeant, eo illas necessario oporteat adpellere. Quæ vrbs, cum tanti momenti sit, iure meritoq; Clauis Belgici maris dici potest. Ergo velis ac remis conandum est, vt sedulo confeructur, sic, n. Carolus V. Cæsar Philippo Regi filio, inter arcana mandauit, vt præ cæteris omnibus hæc ei præcipua curæ foret. Et merito quidem, Nam, qui Flissingensi portu potitur, maris sibi dominium promittere poterit. Verum Albani Ducis imprudentia, vt certè putatur, tam potens & excellens maris portus, Regijs eripitur. Nam anno, 1572. Flissinga, Enchlusa, & pleræq; vicinæ vrbes, ab Albano Duce, decimum nummum nimis impotenter exigente, deficiunt. Qua quidem ratione, Getuliorum vires multum sunt adauctæ; Et Flissingenses, caput cristamq; erigere cœperunt, accedente victoria, qua ad Teruenseam de Hispanis potiti fuerunt, & qua munitissimam VValacriæ Insulam maritimam arcem Rammeken, non optime Capitanei fide, capiunt & in potestatem Principis Auriaci redigunt, Qui se etiam vt, in tutiorem locum cum omni familia sua recepit, quando Alemonij institutum in Brabantia minus feliciter successit.

De hac Flissingensi vrbe, ita Leuinus Lemnius scribit, lib. quarto de occultis naturæ miraculis, Distat à Mettelligo versus Africum seu Occasum hibernum, interuallo sexdecim stadiorum, quæ bis mille passus cõficiunt, aut bina miliaria, Vrbecula exiguo quidem murorum ambitu, sed arte ac natura munito qua parte mari obuersa est, quæ strenuis piscatoribus, atq; exercitatis naucleris, quos Pilotas vocant, referta, Flissinga nominatur, non Vlysea ab Vlyse, vt quidam nugatur, producta origine, sed ab Vrceo, aut lagena potius, quod poculi genus fictile, supernè angustioris est, ne imprudenter liquor effundi possit, in medio, distento ac capaciore ventriculo, qui circa imum gracilescit, ac sensim extenuatur, Belgis in *Flesch* nominata cuius imagine, Ciuitatis huius vexilla, ac manipuli, quos etiam nauium malis in vertice erectos, conspiciamus, insigniti sunt. Cum autem loci huius incolæ suauiter se poculis reficiant, nec ab ijs etiam abhorreant fœminæ, aliquando in hoc certamen viris potentiores ab amplexu lagenæ, qua singulariter afficiuntur, eamq; identidem exhaurire gestiunt, nomen hoc consequuti sunt, aut id ipsum sibi à potandi cõsuetudine ascuerunt, quæ quidem inter hos inoleuit, non vt inebrientur, sed inter se exhilarescant, atq; animi nebulas discutiant. Sunt enim cõplures in hac regione tetrici, mœsti, superciliosi, melancholici, qui affectus à Brabantis ac Flandris sunt alieni, vt quos non triste Saturni ac Martis, sed lærum & salutare Iouis, & Mercurij sidus informat, eoq; fit, vt Zelandi, qui percipiunt excutiendas illas animi molestias, geniales esse studeant, atque affluentiore potu, has animi carnificinas opprimere.

Quod verò ad populares, & Flissingæ indigenas ciuesq; attinet, cum simpatriotis Zelandis sagacem quandam astutiam, callidamq; prudentiam communem habent, (si modo prudentiæ astutia, calliditas adscribenda) nusquam enim gentium tam dextri, atq; Zelandi, tantaq; sagacitate in odorandis explorandisq; impostoribus captiosis, fraudulentis, subdolis, insidiosis, assentatoribus quam liber scitè adulter, palpent, blandiantur, aures titilent ac scalpant, adeò vt non facile horum technis, fucis, fallacijs, versutijs decipiantur, sed illas euestigò deprehendant.

*dimoscere cauti
Quid solidum crepet, & picta tectoria lingua,
Ne qua suberat mendosum tinniat auro*

(*Pers. Sat. 5.*)

Vt assolet ijs quibus aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum. Ab hac dijudicandi peritia emerferunt in Belgas aliquot (exhibita aliquando populari Comœdia) hæc vulgata dicteria dictante morione ne quis offenderetur.

BRABANTVS, hilaris, festiuus, ridiculus in scenicis, comicisque moribus immodicus.

FLANDER, mulierosus, salax, intemperans, libidiniosus, petulcus, lasciuus.

HOLLANDVS, simplex, improvidus, incautus, infacetus, iners, segnis, somniculosus, stolidus ac minimè astutus,

ZELANDVS, Callidus, vafer, versipellis, astutus, subdolos, captiosus, versutus.

Qui affectus etiã ingrauescente ætate ac senectute vires accipiunt, seseq; efficacius proferunt, nisi domita naturæ propensione atq; institutione aliter condocesfacta ad meliorem frugem perducatur. Siquidè infimæ plebis ista sunt vitia, ac gentilitij mores non patriciorum aut virorum illustrium qui liberaliter educantur. De Zelandis vulgo celebrantur hæc versiculi; Crescit nequitia, simul crescente senectæ. In Zelandinis, non fallit regula talis. Cum autem omni nationi sui ad sint affectus ac vitia, mores, propensiones, studia, hoc est, instituta, quibus se quisque applicare solet, tum huic quoque genti, à qua nihil humani alienum, non defunt genuini insitiq; affectus, ad quos naturæ inclinatione feruntur, partim ex circumfuso aëre, qui manifesto corpora afficit; partim, vt alimenta præteream, ex parentum natura auitisque moribus ac vulgari vitæ consuetudine, quæ aliquando ita inoleuit ac menti infixæ est, vt vix eximi queat: quò fit (si Patricios demas, qui nusquam non cultu ac doctrina expoliti sunt) vt gregaria ac promiscua multitudo passim inhumana sit, rudis, agrestis, ferox crudelis, indomita, atque à ciuili vitæ consuetudine aliena, quascunq; etiam nationes excutias. Verum quò inueteratus error, ac deprauati mores, qui ab incunabilis ac prima infantia inolescere Zelandorum animis incipiunt, ita vt eos cum lacte nutricis suxisse videantur, eximantur, progenitorum munus ac officium est (quod nunc sedulo præstare enituntur) vt ex se prognati liberaliter instituantur, eumq; animo cultum ac fomenta adhibere curent, vt exuta natiua, insitaque feritate, ad omnia humanitatis officia inclinentur. Vt enim siluestres arbores cura atque industria hominum mitescunt: immanes bellæ officio ac molli tractatione mansuescunt ac cicurantur: ita quoque humanus animus non prorsus ferreus aut adamantinus flecti potest, atque ad artes humaniores, ad probitatem, decus, virtutem, pietatem, religionem informari. Quæ res effecit apud Zelandos, vt piscatores gens rudis ac pelago assueta, quorùm apud Zirizæos supra quingentos esse constat, præter hos qui nondum satis adulti, in huius negotij tirocinio versantur, paulò post in nautas ac veteranos assumendi, ea sint morum ac vitæ integritate, vt nunquam inter illos vllæ contentiones, iurgia, simultates, dissidia exoriantur, nec vnquam inter se lites consecantur, aut iure cum æqualibus contendant, ita vt magistratus nunquam, nisi in vrgentissimis causis se horum controuersijs interponat, sed omnes inter sese cõactis comitijs dirimunt ac cõsopiant, Nullum inter suos gregales tolerant mendicum, ac probro ducunt, si quis ex eo noscatis ostiatim stipem emendicet, aut quid aliud eblandiatur, quin ipsa Piscatoria societas, & qui inter illos est primarius, quem Decanum vocant singulis quibus res domi angusta est & contractior, quàm vt familiam alant ac sustentent, ex communi ærario suum dimensum constituit, ita vt non desit, quò famem frugaliter ac liberaliter solentur. Cum autem tam numerosa multitudo piscatu se exerceat, ac paulò longius in Oceanum progressa, victum in mari venetur, si quando parcè & malignè piscari contingat, nullus vnquam horum se vexat aut excruciat, nec cuiquam malè precatur, sed omnia placidè ac sedatè perfert, meliorum spe atque fiducia. Ista autem animi moderatio in hominibus tam incultis, non præscriptis legibus aut sapientum doctrina, mentibus illorum impressa est, sed instinctu ductuque naturæ, ac rationis iudicio concepta, quò discernunt, quæ honestati ac decoro deseruiunt, quæque illi sunt aduersa.